

Pub. 20. m. 42.

1765,3

12

DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA

D E

ACTORE FORVM REI HAVD SEMPER SEQVENTE

QVAM

AVSPICIS DIVINIS

EX DECRETO ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM
ORDINIS

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

IO. AVGVSTO HELLFELD, D.

ICTO AC PROFESSORE PVBL. ORDIN.

SEREN. DV CIS SAXO-GOTHANI A CONSILIIS AVLICIS CVRIAEC
PROVINCIALSI ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE,

SCABIN. COLLEGII SENIORE

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE DEVOTA MENTE IN
AETERNV M PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

AD DIEM XXII. APRIL. CIO 10CC LXV.

S V B M I T T I T

A V C T O R

GOTHOF. IVSTINVS GVILIELMVS
SALZMANNVS

IENENSIS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.







S. I.

Regula: actor sequitur forum rei, admittit exceptiones.



Quod actor forum rei sequi debeat, regula est, non legibus solum (*), sed communis quoque Ictorum consensu firmata. Sicuti vero in iure nostro admittimus rarae sunt regulae, quae omnes plane exceptions excludunt; ita quoque regula, qua actor forum rei sequi tenetur, suis haud defituta est exceptionibus, quas pro parte iam observarunt, BRVNNEMANN (**), TVSCH (**), BARBOSA (***) aliique, ast non satis curate eas determinarunt. Hinc operae pretium me facturum credidi, si paulo curatius in hasce inquirerem exceptiones. Quod, ut ordine fiat, ante omnia notiones, quae regulam ingrediuntur, sunt eruendae, et deinde eius ratio erit exponenda, quo magis exinde deduci queant exceptions regulam limitantes.

(*) L. 2. C. de iurisd. omnium iudic. L. final. C. ubi in rem actione exerceri debeat c. 4. 8. X. de foro competente.

(**) ad L. 2. Cod. citatam.

A

(***) Con-

(***) *Conclus. pract. T. I. lit. A. concl. 122.*

(***) *Axiom. 6. voc. actor.*

§. II.

*Quid sit forum? et quid significet regula actor sequitur
forum.*

FORVM hic denotat locum ad exercendas et dirimendas
lites destinatum (*). Leges igitur, dum rei forum actorem
sequi iubent, idem significant, ac actor adire debet locum,
qui reo, ut ibi eius lites dirimerentur, est as signatus. In
omni enim ciuitate bene ordinata cui libet ciui, et cuicun-
que causarum generi as signatus est magistratus, ad quem
lites certarum personarum causarumque cognoscendi et de-
cidendi ius pertinet, et magistratus, cui reus in causa, de
qua agitur, subest, competens vocatur.

(*) c. 10. X. de V. S. Varios significatus huius vocabuli vide apud vi-
cat Vocab. iuris V. forum.

§. III.

*Definitio actoris et rei, ex qua formatur regula, quod actio
instituenda sit apud eum, cuius decretum cogere
possunt reum.*

ACTOR dicitur is, qui postulat a iudice, ut alterum co-
gar, quo magis sibi ius tribuat competens. Is quem iudex ex
actoris intentione cogere debet, dicitur REVS. Actor igitur
aduersariorum per iudicem vult cogere. Iam vero regulariter
cogere potest magistratus, cui persona rei subest. Hinc
actor regulariter eum adire tenetur iudicem, cuius decre-
ta effectum coactuum habere possunt (*), id est eum, cuius
iurisdictioni persona rei subest. Quod dum facit actor,
forum rei sequitur.

(*) SCHILTER exercit. ad Pand. XIII. thes. 20.

§. IV.

Exceptiones a regula proposita nituntur vel in singulari priuilegio vel iure communi. Ad priorem classem pertinent personae miserabiles.

Quamvis vero actor forum rei sequi teneatur (§. 3.) variae tamen sunt exceptiones, quae actorem ab obligatione forum rei sequendi liberant. Hae exceptiones vel in singulari actoris priuilegio, vel in ipso iure communi nituntur. Singulari priuilegio fori intuitu gaudent, primo, personae miserabiles. Hi enim, forum rei ordinarium sequi, haud obligantur, sed omissis omnibus instantiis causam ad ipsum imperantem deferre possunt (*). Et quamvis non desint, qui hocce miserabilium personarum priuilegium ad eum restringunt casum, quo hae personae rei vices sustinent; verba tamen legis aequae ac eius ratio generatim miserabilibus permittunt personis, suum aduerfarium ad supremum imperantis vocare tribunal. Imo ius canonicum (**) causas miserabilium personarum ad forum ecclesiasticum deferrit permittit. Quod tamen in protestantium non obtiner foris (**).

(*) L. vn. C. quando imperator inter papillos. adde ILLVST. FRAESID. Jurisprud. forensem §. 121. RULL. et GEHE II. de iuribus ac priuilegiis miserabil. person.

(**) C. 26. X. de V. S. c. 15. x. de foro competente quod tamen restringit C. II. x. codem.

(***) BOEHMEE iure eccl. protestant. Lib. II. tit. II. §. 33.

S. V.

Quatenus clericus actor laici forum sequatur.

Deinde ex iuris canonici principiis (*) clerici laicos, qui eorum personis, vel bonis iniuriam intulerunt, pro arbitrio, vel in seculari, vel ecclesiastico foro conuenire que-

A 2

unt

unt, sive seculare rei forum sequi, haud tenentur, modo certum sit, quod bona sint clerci (**). Quod tamen apud protestantes non indistincte obninet. Interest enim, quoad personas clericorum, vtrum iniuria officio clerci, an eius personae sit illata, illa censurae est ecclesiasticae, non haec. Quod ad bona clericorum propria attinet, clerci non aliter, vt alia ciuitatis membra habentur, sive forum rei sequuntur (* *).

(*) c. 5. et 8. x. de foro competente.

(**) BOEHMER I. E. proefit. Lib. II. tit. 11. §. 54. MEVIVS P. III. decif. 257.

(* *) LUDOVICI Confessor. Processus Cap. V. 8. 14. CARPZOV. iurispr. Confessor. Lib. III. tit. 1. defin. 7.

§. VI.

Tertia exceptio traditur, si ordinarius iudex rei suspectus est.

Porro actor ex principiis pontificum ab obligatione forum rei adeundi se liberare poterat, si iudicem rei ordinarium, tamquam suspectum, mediante perhorrescentiae iuramento recusaret (*). Hoc enim praestito, reus, vt coram iudice ecclesiastico responderet, poterat adstringi (**). De nimia hac iurisdictionis ecclesiasticae extenione conquefti sunt Germaniae status, verbis : „Item, quum Romae quispiam etiam laicus, interposito iuramento, afferit, se non sperare iustitiam apud iudicem competentem in Germania asequi posse, protinus ad tale iuramentum admittitur, ac citatio contra partem aduersam decernitur. Sicque processus a iudice ordinario ex Germania Romam, nec iudice interpellato, nec parte aduersa admonita, protrahitur; inde iuramenti praetextu, nec fori declinatio, nec ulla admittitur probatio, et iam si plane doceri posset, actorem illam peierasse. Quae res si al.

, si altius radices ageret, nec principiis resisteretur, omnes tan-
, dem canuae ad Romanae curiae tribunal deuoluerentur, ordi-
, nariique vniuersa sua priuarentur iurisdictione. Quod non
, solum contra omnem iustitiam, sed etiam intolerabile foret.
Inde haec doctrina iuris pontificii in Germania, praeser-
tim apud protestantes, nullius est usus, quamuis in casu
quo iudex rei suspectus est, ordinarius praeteriri et ad su-
periorem vel commissarium causa deuolui queat.

(*) c. 6. et 10. X. de foro competente ibique GONZALEZ TELLEZ in
commentario.

(**) in centum grauaminibus in comitiis Noribergensis 1523. pro-
positis apud SCHILTER de liberrate eccles. Germ. p. 866.

§. VII.

*Transitus ad casus quibus iure communii actor rei forum sequi
haud tenetur, eorumque diuiso generalis.*

Non solum vero ex singulari priuilegio actor ab obliga-
tione, qua forum rei sequi tenetur, dispensatur, sed quo-
que iure communi variis dantur casus, quibus actor, vt
reum coram iudice, cui eius persona subest, conueniat,
haud adstringitur. Hoc casu in praesenti curatius de-
terminare animus est. Quam in rem ex traditis (§. 3.) iam
constat, actoris intentionem eo redire, vt per iudicem co-
gat reum, et quidem vel ad id, ne reus in se suasque res
sibi ius arroget, vel ad id, ne sibi reus de suo aliquid prae-
stet. Hoc casu, in regula actor rei forum sequi tenetur,
nisi singularis causa aliud fundet forum. Illo vero casu, ne-
cessé haud est, vt actor eum adeat iudicem, cui persona
rei subest. De vtroque casu in sequentibus speciatim erit
agendum.

A 3

§. VIII.

§. VIII.

*Actor in casu, quo de eo, quod ad rei rō suum pertinet,
nil exigit, forum rei sequi non tenetur.*

Actor in casu, quo a reo exigit, ne in se suasque res sibi ius arroget, forum, cui persona rei subest, sequi haud tenetur (§. 7.). In casu enim proposito actor de eo, quod rō suum rei pertinet, nil exigit, sed solum a iudice postulat, defensionem contra rei iniustos conatus et turbationes illicitas. Iam vero quilibet magistratus iure gaudet, omnes personas et res, quae suae subfunt iurisdictioni, contra iniustos conatus et illicitas turbationes defendendi, et sic quoque auctorem, vel quoad personam, vel quoad bona suae subiectum iurisdictioni, contra turbationes et conatus iniustos rei, iurisdictionis alienae, in suo iurisdictionis districtu defendere potest. Ex quo principio colligere licet regulam: *quod actor, qui solummodo sui suarumque rerum defensionem in districtu sui iudicis postulat, illam coram suo iudice omnino urgere posse, nec praecise opus habeat, iudicem adire, cui rei persona subest,*

§. IX.

*Actor, qui in rem agit, non sequitur forum cui
rei persona subest.*

Actor, qui solum sui suarumque rerum defensionem in districtu sui iudicis postulat, non praecise opus habet, iudicem adire, cui persona rei subest (§. 8.). Quod si igitur res, in qua actor sibi possessionem, vel ius reale competere asserit, sub iudice quodam existat, et actor sui iuris, suasque possessionis defensionem contra suum aduersarium postulet, ille non praecise rei personam sequi tenetur, sed suum ius apud magistratum, cui res, de qua agitur, subest, per-

persequi potest. Quam ob rem iura probant forum rei sitae, quod quis in casu, vbi de defensione rei, seu possessionis suae agitur, coram iudice, vbi res sita est, agnoscere tenetur (*).

(*) L. 3. C. vbi in rem actio exerceri debatur.

§. X.

Actor in possessorio non rei, sed suum iudicem implorat.

Vbi de possessionis defensione agitur, actor non praecise rei personam sequitur, sed in foro rei sitae, recte agit (§. 9.). Clare enim legibus cautum est (*): *Vbi aut vis facta dicitur, aut momentanea possessio postulanda est, ibi loci iudicem aduersus eum, qui possessionem turbavit, conuenit iudicare.* Evidem, quod ad possessorium ordinarium, dubitari posset, an illi nostra applicari posit regula? quia in hoc processus genere non de retinenda, sed de recuperanda possessione agitur, sive non tam defensionem, quam de eo, quod iam rei est, aliquid exigere videtur actor. At nihilominus possessorium ordinarium in foro rei sitae tractari posse, mihi satis certum videtur. Nam in hoc possessorio actor possessionem, quam suam sibi que sine iure eremptam esse assent, postulat, sive iudicis auxilium contra iniustum rei detentorem exigit. Hoc auxilium, cum a iudice rei sitae optime praestari posit; nil impedit, quo minus index loci, vbi res sita est, de causis recuperandae possessionis statuere queat cum effectu. Quod et initium legis adductae, verbis: *vbi vis facta dicitur, satis probat.*

L. vn. C. vbi de possessione agi oporteat. L. vn. C. vbi de hereditate agari.

§. XI.

In actionibus realibus actor rem, non forum rei sequitur.

Recte quoque in foro rei sitae proponuntur actiones reales

reales. Hae enim actiones rem sequuntur, nec ad id tendunt, vt reus de suo aliquid praestet, sed earum finis est, vt iudex declareret, auctori ius in re competere, simulque reo iniungat, ne impedit auctorem in exercitio iuris sibi competentis. Quod cum fieri possit a iudice, sub cuius iurisdictione res est, satis patet, coram hoc actiones reales institui, nec auctorem compelli posse, vt iudicium, cui persona rei subest, sequatur (*).

L. 38. D. de iudiciis L. 66. D. ad SCt. Trebell. L. 1. et 3. C. vbi in rem actio.

§. XII.

An forum rei sitae in mobilibus locum babeat.

An vero rei sitae forum etiam ad mobilia extendi queat, dubitari posset, quia osib[us] personae mobilia inherere dicuntur, ideoque de iis in foro domicilii rei agendum videtur. At licet successio in mobilia ex persona defuncti aestimatur, minime tamen eorum possessio ex loco, vbi dominus est, sed ex loco, vbi sunt, consideratur. Hinc ratione fori lex inter mobilia et immobilia non distinguit, sed generatim dici (*), in locis, quibus res, propter quas contenditur, constitutae sunt, aduersus possidentem in rem actionem posse moueri. Quare communis et in foro observata est sententia, de re mobili non minus, quam immobili, in loco vbi est, intentari posse actionem in rem (**), modo res in loco, vbi agitur, sit constituta, id est, in loco sit, vt ibi vel ad tempus vel in perpetuum maneat, cum transitoria in loco constituta iuridice non intelligantur.

(*) L. 3. C. vbi in rem actio.

(**) de BERGER El. disc. for. Tit. 4. obs. 8. MEVIVS P. IV. obs. 74.
MEYER de foro rei sitae thes. 12.

§. XIII.

§. XIII.

*Actiones hereditariae itidem in foro rei sitae
institui queunt.*

Dum actiones reales in foro rei sitae proponi queant (§. II.) dubitari nequit, quin hereditatis petitio, aliaque, quae pro adipiscenda hereditate comperunt, remedia in foro rei sitae institui queant. Habemus in hanc rem legem vnicam Cod. *vbi de hereditate agatur*. At adiecta in lege verba: *si ibi degit* torquent interpres (*). Nobis horum verborum sensus esse videtur: quod hereditatis controuersia terminanda sit, vel in loco domicilii eius, qui conuenit, vel in foro rei sitae, modo posteriori casu conuentus in loco rei sitae continuet, sibi ius in res hereditarias arrogare, vel eas possidere. In loco enim degere, non praecise denotat, domicilium in loco habere, vel in loco quodam morari, sed proprie idem significat, ac in agendo pergere, seu continuare (**). Ex mente igitur legis controuersiae hereditariae in loco rei sitae terminantur, si reus in loco hereditatis sitae pergit, sibi arrogare possessio nem rerum hereditariorum. Rechte igitur se habet sententia in praxi recepta, quod hereditatis centruersiae terminandae sint, *vbi res sita est* (**). Si igitur res hereditariae sub diuersis iudicibus sitae a diuersis posidentur, contra eum, qui possidet quidem, non vero sub iudice, *vbi agitur*, atque in foro rei sitae habet locum apud eum iudicem, *vbi* reus degit, seu possidet.

(*) BRUNNEMANN ad hanc legem *CVIACIVS in paravir*, ad h.c.

(**) GESNER *thesaur. latin. voce degere*.

(***) STRV *Synagema iur. ciuit. Lib. IV. tit. I. §. 51.* MAIER *de foro rei sitae* §. 54.

§. XIII.

*Quatenus in actionibus in rem scriptis et personalibus
forum rei sitae locum habeat.*

Extendunt quoque forum rei sitae ad actiones, quae in rem scriptae dicuntur (*), imo non desunt, qui putant Germanorum iure actiones personales, quae ad rem tendunt, in foro rei sitae institui posse (**). Quae sententia recte se habet, si in prouincia plenus obtinet Landfasciatus. De aliis vero prouinciis idem affirmare ab defectum iuris patrii certi dubitamus.

(*) MAIER de foro rei sitae the. 46.

(**) HOMBERGK de foro rei sitae eiusque amplitudine apud veteres Germanos, SCHROEDER (L. C.) de actionibus personalibus, quae ad rem perendam sunt comparatae apud veteres Germ. in foro rei sitae instituendis.

§. XV.

*Actor forum rei sequi haud tenetur in casu, quo se
a petitionibus rei solum liberare cupit.*

Deinde quoque actor forum rei sequi haud tenetur, si eius intentio eo solum redit, ut se liberet a petitionibus aduersarii. Cuilibet enim agistrati ius competit, suos subditos contra aliorum petitiones iniustas securos reddere; si igitur aliquis coram suo iudice docet, sua interesse, liberari ab alterius praetensionibus, quas asserit iniustas, simulque iudicis auxilium, ut securus praestetur, implorat; dubitari nequit, quin magistratus succurrere, et causa cognita, eum ab alterius petitionibus liberum declarare poscit. Inde in huiusmodi casu actor, seu implorans, non opus habet, aduersarii adire iudicem, sed coram suo proprio iudice suum ius persequi potest. Sunt haec principia in ipsa sana ratione fundata, quae deinde leges posituae in specialibus agnoscunt casibus.

§. XVI.

§. XVI.

In processu prouocatorio actor rei forum haud sequitur.

Nituntur enim in principiis paragrapho antecedente expositis duo processus prouocatorii, alter ex lege diffamari, alter ex lege si contendat (*). In utroque processus genere prouocans forum prouocati sequi haud tenetur, sed coram suo iudice prouocationem exhibet et prosequitur (**). Quod quidem ratione remedii ex lege si contendat extra dubium est. Natura enim huius remedii in eo consistit, ut prouocans aduersarium in agendo cunctantem prouocet ad replicandum contra exceptionem peremptoriam prouocato opponendam et probandam. Prout canit igitur intentione eo reddit, ut exceptionem firmet, mediante qua contra petitionem aduersarii per iudicem praefetur securus (**). Hanc securitatem prouocans a suo obtinere potest iudice, ideoque prouocatio ex lege si contendat coram iudice prouocantis ordinario recte instituitur (**). Praesertim, cum prouocans, in relatione ad causam principalem consideratus, proprius sit reus, et prouocatus in causa principali prouocantis iudicem agnoscere sit obligatus.

(*) Vtriusque processus fundamentum querunt in lege, et quidem prouocationis ex lege si contendat in L. 28. D. de fideiis foribus, et prouocationis ex lege diffamari in lege 5. C. de ingenio manusmis. Ast nec largissima harum legum interpretatio ea sifit, quae usu fori in hisce processibus obtinet, prout docet de BERGER electis process. prouos. §. 4. 5.

(**) SCHAVMBVRG princeps praeceos iurid. iudic. Lib. II. cap. 6. §. 3. II-lustr. PRAESES iurispr. for. §. 532.

(***) peritum sic formatur: *Dass Proutenant seine wieder Prouten an und Zusprüche habende Einreden billig bey Kräfften bleiben, und er solche dem Prouten iederzeit entgegen zu setzen, wohl befugt,* BERGER el. proc. prouoc. §. 48. SCHAVMBVRG princip. prax iud. Lib. II. cap. 6. §. 3. n. **. Si prouocans petit, *dass dem Proutenant ein ewiges Stillschweigen auferlegt werden möge, ille quidem non satis*



curate proeedit, prouocatio tamen sustinetur. WERNHER P. II.
obf. 487.

(***) GRIEBNER princ. proc. Lib. II. cap. 3. §. 4. LUDOVICI Civil-
Prœcess cap. VI. §. 7.

§. XVII.

Idem obtinet in prouocatione ex lege diffamari.

Alterum processum prouocatorum instruit prouocatio
ex lege diffamari, quae est remedium iuris, vi cuius ad
agendum prouocatur is, qui, sibi aduersus prouocantem
vel in eius re ius esse, iactauit, ad id, ut sub poena perpe-
tui silentii ius suum probet (*). Finis huius prouocationis
est, ut detrimentum ex diffamatione imminentis iudicis au-
xilio auertatur. Quod, cum a suo iudice obtinere possit
prouocans (§. 8.); fatis patet, in prouocantis arbitrio esse,
an diffamantis forum sequi, an vero coram suo proprio iu-
dice illum conuenire velit. Imo non desunt Icti magni
nominis, qui statuant, prouocationem ex lege diffamari
coram quolibet iudice, quamvis vtriusque intuitu incom-
petente, tractari posse, quia is, qui diffamat, se ipso facto
ad agendum, vbi diffamato fuerit visum, arctat, et quasi
prorogat forum, nec habet, de quo conqueratur, cum
ipsi liberum sit, actionem principalem in foro diffamati com-
petente instituere (**). Posterior sententia, licet illam
haud faciamus nostram, minime aduerfatur principio, quod
prouocans prouocati forum sequi haud teneatur, nisi for-
san leges prouinciales aliter statuant (***).

(*) LUDOVICI Civil-Prœcess Cap. V. §. 1. SCHAVMBVRG princip.
prax. iudic. Lib. VI. §. 2.

(**) de WERNHER P. V. obf. 109. MEVIVS P. III. decif. 112.
CARPOV. P. III decif. 213. de BERGER elect. proc. prouoc. th. 20.

(***) Sic in projecto Cod. Frider. Marchici P. III. Tit. 7. §. 1. dispositum
legimus, quod diffamatus in iudicio diffamantis debeat prouocare.
In Saxonia elect. prouocationes, tamquam remedia preparatoria,
ad

ad forum ordinarium, in quo causa principalis expedienda est,
sunt restrictae. Ordin. proc. nouiss. Tit. V. §. 6.

§. XVIII.

Quatenus in aliis prouocationibus actor rei sequatur forum.

Praeter prouocationes in antecedentibus paragr. memoratas, aliae adhuc prouocationes in Germania vñ seruantur. Fieri enim potest, vt alicuius intersit, scire, an sint, de quibus actiones et lites sibi sint metuendae. Hos igitur per proclamatione publica, ad exemplum edictalium citationum concepta, ad profitendas suas actiones suaque credita sub poena paeclusionis, vel amittendi sui iuris, prouocare licet. Sic e. g. in concurso creditorum ignori credidores sub poena paeclusionis conuocantur ad liquidandum. Porro, si incertum est, cuinam ius in hereditatem competit, omnes, qui tale ius sibi vindicare cupiunt, sub poena derelicti iuris hereditarii edictaliter vocantur, nec minus emtores, vt certi fiant, an alicui in re emta ius pignoris competit, omnes, qui tale ius sibi competere putant, per publica programmata sub comminatione amittiendi sui iuris conuocari curant. Fundamentum harum conuocationum quoad pignoratios credidores in ipsa lege (*) latet, cuius vñ per modum interpretationis extensuiae latius extendunt Germaniae fora (**). Effectus harum prouocationum est, vt legitime prouocatus, si non comparuerit, suo iure, vel in totum, vel in tantum paecludatur (**), salua tamen, si iusta causa adsit, restituzione in integrum, quatenus res in pristinum statum reduci potest (**). Ulterius in ea, quae circa hanc prouocationes iuris sunt inquirere, ad praesens haud facit institutum. Vnicum solum addimus, quod omnes hae prouocationes ex principiis iam traditis et secundum notoriam praxim non in foro prouocati, sed vel in foro prouocantis,

B 3

vel

vel in foro rei sitae, vel vbi lis, cuius intuitu interest prouocantis, instituantur.

(*) L. 6 C. de remissione pignoris.

(**) BERGER elect. process. prou. §. 23.

(***) de PVFFENDORF T. I. obseruat. 131. Si e. g. creditor pignoratus, qui ad proclamata publica suum ius haud proficitur, ius pignoris quidem, minime vero ius in personam sui debitoris amittit. BRUNNEMANN in Cod. ad L. 6. de amiss. pignoris. Sic in concursu creditorum praeclusione iura creditorum haud profitentium extinguntur intuitu concursus, salvo regressu contra debitorem, qui ad meliorem peruenit fortunam. SALGADO de SAMOZA Labyr. credit. P. I. cap. 8. nr. 15. seqq. de PVFFENDORF T. I. obs. 176. Contrariam sententiam defendere conatus est LEYSER Sp. 490. Med. I. quam tamen in fine rursus limitat.

(****) A LEYSER Sp. 490. m. 2. SCHAVMBVRG princ. prax. Lib. II. cap. 8. §. 19.

§. XVIII.

Prouocationibus expositis non obstat regula: quod nemo ad agendum cogi possit.

Equidem prouocationes, quibus alter ad agendum prouocatur, iuri contrariae videntur, quia leges volunt; ne quis inuitus agere, vel accusare cogatur. At quamvis in regula ad agendum nemo cogi poscit (*); hoc tamen de coactione simpliciter tali solum valet (**). Prouocationes vero non simpliciter ad agendum cogunt, sed arbitrium manet prouocato, an agere, an omessa actione ius suum pro derelicto habere velit. Quodsi igitur tertius doceat, sibi interesse, vt alter agat, vel omessa actione, ius suum pro derelicto habeat, ille iure exigit, vt per iudicem praefigatur terminus, intra quem alter ius suum sub poena admissionis persequatur. Qua comminatione facta, et termino legitime praefixo elapsa, actio iure meritoque habetur pro derelicta.

(*) L.

(*) L. vn. C. ut nemo iniuritus agere vel accusare cogatur.

(**) BRUNNEMANN in comment. ad C. ad legem ciratum,

§. XX.

Actor quoque non semper sequitur rei forum in processu diuortii

Porro quoque in processu, quem propter malitiosam defensionem pars deserta contra desertorem instituit, ut et diuortii a vulgari illa regula, quod actor rei forum sequatur, haud raro sit exceptio. Evidem expeditum est, quod causae matrimonii vinculum concernentes ad iudicem spectent ecclesiasticum (*). An vero necessario actor iudicem ecclesiasticum, cui persona rei subest, adire debeat? dubium videtur. Deficiunt leges, competentiam fori causarum, quae de diuortio agitantur, speciatim et expresse determinantes. Si vero rem ex iuris analogia aestumamus, ea verior videatur sententia, quod actor pro obtinendo diuortio suum adire queat iudicem. Is enim actionum, quae ad diuortium tendunt, finis est, ut actor a vinculo matrimonii, quo reo coniunctus est, liberetur (**). Nihil hic de reo exigit actor, sed solum a petitionibus rei, et obligationibus erga illum, ex iustis causis, praeuia earum cognitione se liberare cupit. Hinc actor in causa diuortii non praecise rei forum sequi tenetur, sed liberationem a matrimonii vinculo coram suo obtinere potest iudice (§. 15.). Quam in rem illuistris facultas iuridica Ienensis ad quaestione de foro diuortii competente respondit: *D. a. u. d. die Regul, dass die Klage vor dem ordentlichen Richter des Beklagten angefertigt werden müsse, blos von dem Fall, da der Kläger von dem Beklagten etwas zu prüfieren verlanget, anzunehmen ist, ansonsten, wenn der Kläger nicht sowohl an den Beklagten etwas fordert, als vielmehr nur, dass der Beklagte an ihm, dem Kläger, oder den seinigen nichts zu fordern berechtiget sey,*

zu

zu erklären bittet, derselbe an des Beklagten Richter nicht schlechterdings gebunden ist, wie solches bey den Real-Klagen, denen Provocationen ex lege diffamari eti contendat, ingleichen denen Possessorien- und Desertions-Klagen, auch andern mehrern genugsam abzunehmen ist, und dann die Javolena, bey Anstellung der Divortien-Klage, nicht sowohl von Sempronio etwas fordert, als vielmehr nur, dass Sempronio an ihrer Person kein weiteres Recht aus der ebelichen Verbindung zu stehé, zu erklären bittet; und dabero sothane Klage gegen den entmachten Ehemann vor der Javolenae dermähligen Richter um so mehr angestellt werden kan, als unter dessen Gerichtsbarkeit die Ehe geführet und die ebeliche Treue hinwiderum gebrochen, mithin nach denen göttlich und natürlichen Rechten das Eheband in der maſe getrennet worden, dass hierunter ein mehreres, als die, nach denen bürgerlichen Gesetzen erforderliche sententia declaratoria de dissoluto matrimonio nicht übrig ist, welche Declaration von demienigen Richter, unter dessen Gerichtsbarkeit die ebeliche Treue gebrochen, am füglichsten geschehen kan.

CARPZOV definit, eccles. Lib. III. def. 69.

anbey der Javolena, dass sie ihren untreuen Ehemann vor dessen Obrigkeit belange, um so weniger anzumuthen, als derselbe die catholische Religion angenommen, und die Catholiken in Ansehung der Eheſcheidung ganz andere Lehr-Sätze, als die Protestanten begin, folglich Javolena vor einer catholischen Obrigkeit ihr Recht nicht erlangen kan: so halten wir denen Rechten nach gegründet, dass die Divortien-Klage in loco domicili, wo ſelbſt die beyden Eheleute zur Zeit der geſchehenen Verlaffung wesentlich gewohnet, und Javolena annoch wohnet, füglich anzustellen ſey.

(*) BERGER electa process. matrim. §. 2. LUDOVICI Confessorial-Procesſus cap. IV. §. 4.

(**) SCHILTER Instit. iuris Canon. Lib. II. tit. 12. §. 9.

§. XXI.


§. XXI.

Quod potissimum locum habet, si auctor diuersam religionem profitetur.

Praecipue vero auctor in causa diuortii rei forum hanc sequi tenetur, si reus diuersae est religionis, vt pote, si vxor euangelicae religioni addicta contra maritum catholicum ad dissolucionem vinculi matrimonialis agit. Cum enim ius canonicum, ob sacramenti rationem matrimonium credit indissolubile, ideoque diuortium totale non, nisi in casu, quo infidelis fidelem deferit coningem, admittit (*); protestantes vero nec sacramenti rationem in matrimonio agnoscunt, nec indissolubile vinculum matrimonii credunt; satis patet, vxorem euangelicam contra maritum religionis catholicae coram iudice catholico sententiam principiis suae religioni convenientem sperare vix posse. Hinc vxor suum iudicem euangelicae religioni addictum adire, et coram eo ad diuortium agere potest (**). Quod eo magis locum habet, cum iurisdic^{tio} catholicorum ecclesiastica in causis Augustanae confessioni et conscientiae protestantium repugnantibus per pacem religiosam aequam ac Osnabrugensem penitus si suspensa (**). Inde compelli nequit vxor, vt se submittat sententiae, quam non nisi suae religioni repugnantem expectare potest.

(*) c. 7. et 8. X. de diuortiis CONCIL. TRIDENT. scil. 24. c. 7.

(**) apud de LVDEWIG consl. Hall. Tom. I. P. II. consl. 98. hacc leguntur: wenn dann solches alles dem Herkommen nicht weniger gemäss, dass in Fall ein römischem carolischem Ehemann sein evangelisches Ehe, weib verlassen, das evangelische Consistorium oder Kirchen-Rath des evangelischen Ehemannes die Scheidung der Ehe sowohl als der Verlobnis vorzunehmen pfleget, da von der letzten Gattung NICOLAI de repud. P. I. c. 2. n. 7. BECHSTADT de sponsal. P. I. cap. 10. in der ersten aber, kan würtlich deshalb vor dem evangelischen Consistorio geschiedenen Eben der auctor CONSULT. SAX. P. I. lib. II. cap. XV.



YAVL GYPRAEVS P. I. cap. XIII. §. 17. IO. RIZELIVS de matrimon. cap. 3. theorem. 17. p. 67. Exempel anführen; und weil über dergleichen Fragen nicht der catholicische, sondern der evangelische Ehe Richter ihre Religions-Verwandte ohne Unterschied bescheiden, solches im teutschen Reich vor nichts ungewöhnliches zu achten, dass jeder Ehegatte vor dem Richter seiner Religion in Ehefachen Recht nehme etc.

(*) PAX REL. . Art. 7. INST. P. OSNAB. Art. V. §. 48.

§. XXII.

Maritus vxorem deserentem in suo conuenit foro.

Porro quoque dubitari nequit, quin maritus in suo proprio foro contra vxorem malitiose deserentem ad diuortium agere queat. Vxor enim forum mariti habet, illudque ex suo arbitrio deserere nequit (*). Hinc, quamuis vxor maritum deseruerit, et sub alio iudice degat, illa tamen mariti forum retinet, ibique recte conuenit.

(*) I. 19. de iurisd. L. vlt. §. 3. D. ad municip. L. vlt. C. de incolis.

§. XXIII.

Quatenus vxor maritum desertorem in suo proprio foro conuenire queat?

Alia vero ratio esse videtur, si maritus suam malitiose deseruerit coniugem. Nam aut constat, quod maritus desertor domicilium loci, in quo stetit matrimonium, mutauerit, aut de eo non constat. Hoc casu, quia mutatione non praesumitur, maritus pristinum retinuisse forum censetur (*), ideoque in illo foro, quod tempore desertionis habuit, recte conuenit. An vero in casu, quo de facta a marito domicili mutatione satis constat, vxor, quae ad diuortium agere vult, mariti forum sequi teneatur? magis dubium videtur. Nos ex principiis (§. 21.) adductis in eam transimus sententiam, quod in vxoris electione sit, an mariti

titi, an suum iudicem adire velit (**). Evidem obici posset, quod vxor non proprio, sed mariti gaudet foro, ideoque non in alio, quam mariti foro, ad diuortium agere queat. Ast regula, quod vxor mariti forum agnoscere teneatur, tamdiu solum locum habet, ac vinculum matrimonii perdurat. Hoc dissoluto, vxor sibi ipsi forum constituere potest. Si igitur coniux matrimonium ob adulterium, malitiosam desertionem, seu alia ex causa dissolutum esse contendit, tunc illa, ut mariti domicilium et forum sequatur, compelli nequit, potius coram iudice, cuius iurisdictionem haec tenus agnouit, ad diuortium agere potest, praesertim, cum ipse maritus sua desertione iure maritali in vxorem competente se abdicavit, et sententia diuortii non tam condemnet, quam solum declareret, quod ad sit iusta causa matrimonium dirimens (**). Inde non defunt Icti, qui statuunt, in casu, quo de existentia iustae diuortii causae constat, nec citationem aduersarii, nec processum requiri, sed iudicem innocentis coniugis statim diuortium decernere posse (**).

(*) CARPOV Lib. II. resp. 21. n. 14. STRVVE Exercit. 9. n. 19.
COCCII consil. et respons. Tit. II. arg. 174.

(**) argumentum quoque defumi potest ex L. I. C. vbi causa status aegi debetur, dum vi huius legis is, qui mutandi status causa aufigit, in loco, ex quo aufigit, conveniri posse.

(***) CARPOV defini. ecclesiast. L. III: Tit. V. def. 69. n. 8.

(****) RICHTER Vol. II. cons. 237. n. 12. BRUCKNER decisi. matr. cap. 18. n. 36. ECKARD ad SCHILTERI insti. iuris canou. lib. II. tit. 12. §. 7.

§. XXIII.

Illustres in causis matrimonii vinculum concernentibus non semper feruant regulam, actor sequitur forum rei.

In illustrum quoque causis, matrimonii vinculum concernentibus, actor, rei forum semper sequi, haud tenetur.

C 2

Quam-

Quamvis enim imperii proceres imperatorem supremaque imperii tribunalia iudicem habeant competentem; imperator tamen et imperii tribunalia iurisdictionem sibi nec vindicant, nec ex principiis religionis catholicae vindicare possunt, ecclesiasticam. Pontificis vero, et episcoporum iurisdictione in causis matrimonialibus statuum euangelicorum non habet locum (*). Inde status euangelicae religionis in causis diuortii reuera iudice sunt destituti, et ex iustis causis, etiam sine iudicis sententia praeuia, diuortium facere possunt (**). Si autem rem tam grauem non suae propriae conscientiae committere, sed ex aliorum sententia praeuia causae cognitione diuortium facere velint; vel in arbitrum compromittere, vel consistorio proprio, aut alieno se submittere possunt (**). Altera vero pars hocce ab auctore electum forum, si in illud nulla cadat suspicio, eo magis agnoscere tenetur, quia auctor in causa, in qua iudicem non habet, et suae solum conscientiae consulere cupit, neque a reo, ut aliquid praestet, exigit, iudicem, quem suum agnoscit, adire potest. Quod certo modo ad nobiles Imperii immediatos extendi potest (**).

(*) PAX RELIGIOSA §. 7. I. F. o. Tit. V. §. 48.

(**) STRVYII iurispr. heroiic. P. IV. cap. V. §. 21. seqq. COCCII de-
duct. consil. et resp. T. I. p. 545.

(***) exempla vide in allegata iurispr. heroiaca P. IV. cap. III. sect. 2.
§. 25. 26. 27. 33.

(****) de LYNEKER consulte. iur. arg. 1.

§. XXV.

*Administrator forum gestae administrationis agno-
scere tenetur.*

Porro inter causas, in quibus auctor ad forum rei non
est adstrictus, referri quoque meretur gestio administra-
tio-
nis.

nis. Qui enim aliena administravit bona, sub illo iudice, sub cuius iurisdictione administratio gesta est, recte conuenit. Oritur inde forum gestae administrationis a legibus adprobatum (*), in quo administrator se defendere, id est, rei vices subire tenetur (**). Cum enim in foro gestae administrationis omnia, quae ad causam instruendam faciunt, veluti testes, documenta, ipsa rei administratae inspectio et aestimatio facilissime haberi possunt, quae in alio loco non nisi magnis sumtibus et difficultatibus expediri queunt; leges constituerunt, ut administrator coram iudice, sub quo gesit, respondeat, licet alibi domicilium habeat, et iudici, sub quo administravit, plane non subsit (***) .

(*) L. 19. §. 1. et L. 36. §. 1. D. de iudiciis L. 54. §. 1. D. de procuratoribus L. 1. et 2. C. ubi de ratiocin.

(**) L. 51. §. 1. D. de procuratoribus.

(***) BOEHMER Consult. et decis. T. II. P. II. resp. 1234. n. 16. seqq.
LEYSER Sp. 73. m. 9.

§. XXVI.

*Quatenus ob causarum connexitatem actor alium, quam
rei iudicem ordinarium adire queat.*

Simili quoque modo actor rei forum simpliciter haud sequitur in causis, quae identitatem vel connexitatem habent. Identitas causarum adest, quando ex uno eodemque fundamento aduersus plures res vel personas actio competit. Connexitas vero existit, quando causae diuersae ita sunt comparatae, ut una ex altera fundamentum decisionis repeat. Ob identitatis rationem, ne lites earumque sumtus praeter necessitatem multiplicentur, plures rei coram uno iudice superiore communi possunt et debent conueniri (*). Quamuis igitur unus vel alter reorum in prima instantia alium habeat iudicem, hic tamen

C 3

prae-

praeteriri, et actor superiorem adire potest, sicque non praecise rei forum sequitur. Deinde, cum causae connexae commode separari nequeant, haud raro ob connexitatem causarum actor reum coram iudice conuenit, cui reus haud subest (**).

(*) L. 1. et 2. D. de quibus rebus ad eundem iudicem carcer L. 5. C. arbitrium tutelae.

(**) L. 10. C. de iudiciis L. 13. C. de rei vindic. addatur MAGNITUDI ET ILLVSTRIS A. L. C. SCHMID disp. de generibus coniunctiae causar. genuinis.

§. XXVII.

Ad quodnam forum causa spectet, si clericus et laicus ob identitatem coram uno iudice sunt conueniendi.

Si ob causarum identitatem personae diuersi fori coram uno eodemque iudice conueniendi sunt (§.26.), in reorum numero interdum clerici et laici simul concurrunt, ideoque disceptatur, an in iudicio ecclesiastico, an in iudicio seculari causa sit tractanda? Non desunt qui hoc casu litem in foro ecclesiastico, tanquam magis digno, tractandam censem (*). Sunt vero et alii, qui in praiejudicium magistratus secularis doctrinam de iudicii ecclesiastici praerogatiua confitcam, ideoque causam iudicii seculari vindicandam docent (**). At utriusque partis sententia mihi adhuc variis subesse videtur dubiis. Quamuis enim prior sententia ex principiis iuris pontificii supra (§.5.) traditis, certo modo defendi queat, haecce tamen principia apud protestantes haud obtinent, immo in terris catholicorum secularibus inuitio territorii domino pontifices suam iurisdictionem eo extendere nequeunt, vt laicos, in causis mere secularibus ad ecclesiastica fora trahere queant. Altera vero sententia, quod nempe ob identitatem clericus in foro seculari se defen-

fendere beat, itidem Iubrico innititur fundamento. E-
quidem in casu, quo in iure reali vel possessione identitas
suum habet fundamentum, dubium non est, quin in foro
rei sitae omnes litis confortes conueniri queant (§. 10. 11.),
sive laici sint, sive clerici, dum priuilegium personae con-
cessum, forum rei sitae haud excludat (**). Si vero cleri-
cus simul cum laico in causa mere personali conuenitur,
nulla est ratio, cur ob identitatem clericus in foro seculari
stare beat. Identitas enim causarum iudicem omnium
litis consortium communem paeponit. Talis vero non est
iudex secularis. Nobis igitur sic videtur. Identitas cau-
sa efficit, vt actio coram iudice omnium litis consortium
communi instituenda sit (§. 26.). Talis intuitu laicorum in
causa seculari non est iudex ecclesiasticus, nec intuitu cle-
ricorum in causa mere personali iudex secularis. Bene ve-
ro in terris euangelicorum communis superior est territorii
dominus. Si igitur clericus et laicus simul conueniendi
in uno sunt territorio, imperans adeundus est, qui per iu-
dicem extra ordinem constitutum seu commissarium causam
cognoscere et decidere potest. Si vero litis confortes di-
uersi sint territorii, aut clericus in prouincia pontificiae re-
ligioni addicta degat, tunc communis deficit superior et
causa erit diuidenda, ita, vt quilibet coram suo iudice
conueniri beat.

(*) BERLICH P. II. dec. 220. n. 24. BRUNNEMANN ad tit. d. de
quibus causis ad eundem iudicem n. 6. LUDOVICI proc. consistorial.
cap. V. §. 13.

(**) WERNHER P. I. obsf. 305. n. 27. FRIDERVS de procesibus manu-
dat. L. III. cap. IV. n. 22.

(**) WERNHER P. I. obsf. 305. n. 27. MAIER de foro rei sitae th. 23.
25. GAIL Lib. I. obsf. I. n. 4.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

*Arrestum interdum alio, quam suo iudice
subiicit reum.*

Non solum vero reus in casu, quo auctor ab eo nil exigit, sed quoque in casu, quo de suo aliquid praestare debet, coram alio, quam suo iudice, ex singulari causa se defendere tenetur. Huiusmodi causa singularis forum fundans est arrestum iuris communis (*), quo persona, vel res sub iudiciali detinetur custodia eo fine, ut coram iudice arrestante forum vel fundetur vel firmetur. Quamvis enim arresta, tanquam executionis initium, in regula non habeant locum (**), illa tamen iura non improbant, si ob periculum imminens rei, seu iuris conferuandi causa, imponuntur (**). Quodsi enim debitor se suaque bona iuri et iudicio subtrahere velit, sive periculum amittendae rei adsit, ad instantiam actoris personam vel rem sub sua iurisdictione existentem iudex arresto detinere potest, eo fine, ut forum vel fundetur vel firmetur. Potest enim arrestum imponi vel ad forum fundandum vel ad illud firmandum. Prius fit, si auctor in re per territorium transportanda sibi ins esse affirmat, et periculum rei amittendae probat, vel debitor fugitus seu vagabundus per territorium transiens ad implorationem actoris detinetur (**). Posterior vero locum habet, si iudicis cuiusdam iurisdictione, vel ratione fori contractus, vel ex alia iusta causa quidem fundata, metuendum vero sit, iudicium fuga rei, seu alio modo fore elusorium. Vtique causa iudex arrestando personam seu bona efficit, ut reus coram iudicio arrestantis rite se defendere cogatur, quamvis illi quoad personam non subfit.

(*) Loquimur de arresto iuris communis. A quo dissent Saxonicum,
quod

quod pignoris consequendi causa imponitur, cum econtrario arresti iuris communis finis principialis sit, ut forum funderetur vel firmetur. Quamvis in casu, quo debitoris fugitiui bona per arrestatum reliquis creditoribus sunt conseruata, huic ex acquisitatis ratione ex argumento L. §. et 6. D. qui posiores in pignore ius praelectionis hanc denegetur. *M. VIVS de arrestis cap. XIX. §. 19. seqq.*

(**) argum. L. vn. C. de prohibita sequestr. pecun. L. 7. C. de obli. et action. GAIL. de arrestis cap. I. n. 30. RODING Pandectae Lib. I. tit. XI. §. 10-48.

(***) Recissus imp. de 1594. §. 81. seqq. Ordin. proc. Saxon. elector. tit. 51.

§. XXVIII.

*Vi contractus reus coram iudice non suo interdum
stare debet.*

Tandem quoque reus coram iudice non suo forum sortiri potest ex contractu. Non enim ignotum est in iure nostro *contractus forum*, quod, quis sub iudice loci, *vbi ad contractus implementum est obligatus*, sortitur. Evidem de eo non est dubium, quin certis in casibus reus ex pacto iudicii se submittere, sicutque voluntario iurisdictionem prorogare queat. Ast in praesenti non de foro ex libera voluntate prorogato, sed de eo, quod reus coram iudice non suo ex natura *contractus* agnoscere tenetur, nobis sermo est. Ex natura autem *contractus* reus forum sortitur in illo loco, *vbi ad contractus implementum tenetur*. Sicut enim reus *contractum* in loco, quo eius implementum praestare se obligauit, adimplere perfecte est obligatus; ita quoque dubitari nequit, quin actor implementum in loco, quo vi *contractus* illud fieri debet, exigere, sicutque coram eiusdem loci iudice ex *contractu* reum cenuenire queat. Et quidem locus, *vbi adimplementum fieri debet*, vel in *contractu determinatus* est, vel non. Priori casu *contractus forum* est in loco, *vbi implementum facere*, est conuenientum (*), imo si generatim dictum: *vt creditor implementum*

D

exigat,

exigat, vbi cunque velit, debitor, vbi cunque deprehensus fuerit, conueniri potest (**). Posteriori vero casu, quo locus solutionis non est determinatus, contrahentes in illum consensisse praesumuntur locum, vbi contractus perfectionem est consequutus (**), nisi forsitan peregrinanti, vel praeter nauiganti, fuerit creditum. Hoc enim casu, cum sciret creditor, quod in loco contractus aduenia vel praeter nauigans soluere nollet, eidemque nihilominus fidem habuit, locus domicili solutioni destinatus praesumitur. Sicque forum loci, vbi est contractus, non admittitur (**). Secus se res habet, si creditor aduenae, vel nauigantis fidem non fuerit fecutus, sed solutionem statim fieri voluerit, quo casu aduenia in loco contractus detineri, et ad solutionem compelli potest. Iure canonico vero, ut forum contractus esse etum habeat, requiritur, ut reus in foro contractus inueniatur, vel ibi bona posideat (††).

(*) L. 19, §. 2. D. de iudiciis L. 21. D. de obligat. et action.

(**) ME VIVIS de arrestis c. XII, n. 13. BARDILI de foro contractus cap. IV, n. 9, seqq.

(***) BRUNNEMANN ad L. 20. D. de obligat et. action. CARPZOV P. III. decisi. 216,

(****) L. 19, §. 2. D. de iudiciis.

(†) BARDILI loco citato cap. IV, n. 29.

(††) c. 1, §. 3, de foro competente in 670 reus vero in foro contractus inuenitur, si ibi ad tempus commoratur. Ut domicilium ibi habeat, non requiritur, adde de WERNHER P. III. obs. 199.

§. XXX.

Ex cambio forum contractus locum habet.

Forum quoque contractus constituitur per negotium cambiale. Ad quamcunque enim contractuum classem, siue ad nominatos, siue ad innominatos, siue ad litterales, verbales, vel consensuales contractus referas cambium, illud

Iud tamen in contractuum numero est, et exinde forum contractus locum habet. Hinc debitor cambialis non solum in foro domicilii, sed quoque in loco, vbi solutio fieri debet, vel contractus perfectionem obtinuit, vel si fugitiuus est, vbi cunque prehenditur, recte conuenit.

§. XXXI.

Dubium contra exceptiones propositas.

Et haec sunt praecipuae, quae nobis in mentem venerunt, exceptiones a vulgari regula: actor sequitur rei forum, recedentes. Ast facile perspicio, mihi obiici posse, exceptiones in hac dissertatione propositas frustra in exceptionum numerum referri. Ex omnibus enim iuris compendiis notissima est diuisio in forum generale et speciale. Quorum hoc in singularibus solum, illud vero in cuiuscunque generis causis reus agnoscere debet. Si igitur actor, omisso foro generali, reum in foro speciali conuenit, ille rei forum omnino sequi, sicque forum speciale a vulgari regula exceptionem constituere haud videtur.

§. XXXII.

Responsio ad praecedens dubium.

Quamvis vero diuisio in forum generale et speciale recte se habeat, illa tamen nostris haud obstat assertis. Sensus enim, quem nostrae regulae leges tribuunt, eoredit, quod actor adire debeat illum iudicem, cui personae rei subest, id est, generale forum domicilii vel originis. Si igitur actor reum coram iudice, cui eius persona non subest, conuenire potest, ille rei forum proprie haud sequitur. Hanc regulae explicationem firmant verba L. 3. C. vbi in rem actio exerceri debeat. Ibi dicitur: *Actor rei forum, siue in rem siue in personam sit actio, sequitur.* Sed et in locis, in quibus

D 2

bus res, propter quas contenditur, sunt constitutae, iubemus in rem, actionem aduersus posidentem moueri. In principio legis ponitur regula: *Affor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur.* Deinde additur exceptio: quod actor in actionibus realibus non praecise rei forum sequi tenetur, sed aetio in locis, vbi res, propter quas contenditur, constitutae sunt, moueri posit. Ex addita exceptione colligere licet, in regula principio legis proposita sub foro intelligi generale, cui reus, quoad omnes subest actiones. Sic quoque in aliis legum textibus (*) regula: *actor sequitur forum rei,* explicatur, quod actor sequatur domicilium, seu forum rei generale. Cum igitur regulae nostrae sensus sit, quod actor reum conuenire debeat, coram eo iudice, cui rei persona subest; satis patet, omnes eos causis, quibus actor reum coram iudice, cui eius persona non subest, ex legum permissione conuenire potest, ad exceptiones a regula esse referendas.

(*) Inde in L. 2. C. de iurisdictione omnium iudicium dicitur *actor rei forum sequitur;* nam ubi domicilium reus habet, vel tempore contractus habuit, ibi tantum eum conuenire oportet. Sic quoque in L. 19. §. 2. D. de iudicis dicitur: *actor sequi tenetur domicilium rei.*

§. XXXIII.

Regula generalis de foro quod actor sequitur.

Si vero regulam de foro, quod actor sequi debet, generaliorem habere cupis, illa haec erit: Actor adire debet iudicem, cui ius competit de causa in iudicium deducta cognoscendi et statuendi. Talis vero iudex est vel generalis, cui simpliciter rei persona subest, vel spe-

specialis, cuius iurisdictionem reus ex singulari solum causa sequi tenetur. Huiusmodi singulares causae nuntiuntur vel in priuilegio (§. 4. 5.) vel in iure communi. Quorsum spectat I.) rei de qua agitur situs (§. 9. 10. 11. 12. 13.). II.) Si actor de eo, quod ad se suum rei pertinet, nil exigit, sed ab eius petitionibus se solum liberare cupit (§. 15. - 24.). III.) gesta administratio (§. 25.). IV.) causae connexitas (§. 26. 27.). V.) Arrestum (§. 28.). VI.) contractus (§. 29. 30.).
aliaque.

FINIS.

ERRATA OPERARVM.

- pag. 2. lin. 4. pro *siquitur* lege *sequitur*.
- lin. 29. pro *regularitur* lege *regularizet*.
- pag. 5. lin. 24. pro *ne lege vr.*
- pag. 6. lin. 23. pro *districtu* lege *districtu*.
- pag. 7. lin. 12. pro *olinarium* lege *ordinarium*
- pag. 8. lin. 20. pro *dici* lege *dicit*.
- pag. 22. lin. 15. pro *conueniendi* lege *conuenienda*.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE

IVRIVM CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

P. 200
Titissima quidem, et vel ipsis dupondiis nota est regula, *actor rei forum sequitur*. Ast peruersa huius regulae interpretatio applicationem ad casus obuios reddit dubiam, et errores producit, qui non leue inferunt detrimentum litigantibus. Non igitur improbo, sed potius laudo, **TVVM** consilium, quo speciminis auspicialis causa dictam regulam curatius exponere **TIBI** proposuisti. Tali ratione **TVVM** exequutus es propositum, vt in breui hoc opuscule varia occurrant, quae in vastis commentariis materiam de iudiciis tractantibus frustra quaesueris. Hinc **TIBI** de hoc eruditionis specimine gratulor, Deumque immortalem piis oro votis, velit honores doctrales, quos promereris, **TIBI** esse fortunatisimos, quo magis vberrimos diligentiae, qua litteris incubuisti, fructus capere queas, quam diutissime Vale mihique faue.

Dabam Ienae d. XVIII. April

1565.

Zeua, Drss., 1764-65


VD18





Farbkarte #13

B.I.G.



Pub. 20. m. 42.

1765,3

12

SERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

DE

**ORE FORVM REI
V D SEMPER SEQVENTE**

QVAM

AVSPICILS DIVINIS
RETO ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM
ORDINIS

P R A E S I D E

O ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

VGVSTO HELLFELD, D.

CTO AC PROFESSORE PVBL. ORDIN.

CIS SAXO-GOTHANI A CONSILIIS AVLICIS CVRIAEC
NCIALSI ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE,
SCABIN. COLLEGII SENIORE

ATQVE PRAECEPTORE DEVOTA MENTE IN
AETERNV M PROSEQVENDO

PO GRADV DOCTORIS

IDO ERVDITORVM EXAMINI

AD DIEM XXII. APRIL. CIO IDCC LXV.

S V B M I T T I T

A V G T O R

**OF. IVSTINV S GVILIELMV S
SALZM'ANNVS**

IENENSIS.

AE LITTERIS SCHILLIANIS.

